

**VIRI CLARISSIMI
GABRIELIS LAUREANI
ORATIONES, CARMINA ET
INSCRIPTIONES**

Published @ 2017 Trieste Publishing Pty Ltd

ISBN 9780649778782

Viri Clarissimi Gabrielis Laureani Orationes, Carmina et Inscriptiones by Gabriel Laureanius

Except for use in any review, the reproduction or utilisation of this work in whole or in part in any form by any electronic, mechanical or other means, now known or hereafter invented, including xerography, photocopying and recording, or in any information storage or retrieval system, is forbidden without the permission of the publisher, Trieste Publishing Pty Ltd, PO Box 1576 Collingwood, Victoria 3066 Australia.

All rights reserved.

Edited by Trieste Publishing Pty Ltd.
Cover @ 2017

This book is sold subject to the condition that it shall not, by way of trade or otherwise, be lent, re-sold, hired out, or otherwise circulated without the publisher's prior consent in any form or binding or cover other than that in which it is published and without a similar condition including this condition being imposed on the subsequent purchaser.

www.triestepublishing.com

GABRIEL LAUREANIUS

**VIRI CLARISSIMI
GABRIELIS LAUREANI
ORATIONES, CARMINA ET
INSCRIPTIONES**

VIRI CLARISSIMI

GABRIELIS LAUREANI

ORATIONES CARMINA

ET INSCRIPTIONES



ROMAE

EX TYPOGRAPHIA BONARUM ARTIUM

MDCCLV

AD LECTORES

Exstitisse singulis aetatibus hac in urbe laetandum est ingeniosos viros, ac strenuos, qui latinam linguam impense colerent, ac feliciter usurparent; atque adeo haereditariam hanc laudem ne exterae nobis extorquerent gentes summa ope niterentur. Qui quidem egregii viri eo majore digni commendatione videntur, quo acrius jactare instant male animati in religionem homines, omnem vernaculae, nullam impendendam esse operam latinae linguae, quae tamen doctrinarum omnium fons est, nativae gravitate exaequat, ac refert quodammodo romani imperii majestatem; exinde vero christianis ritibus consecrata cunctis late populis auspiciatori subiectis imperio tradit, atque explicat fidei dogmata, praecepta salutis. Atqui perfidiosi isti homines de latini sermonis vel dignitate, vel commodis detra-

hentes eo intendunt, ut non levem importent religioni perniciem; siquidem restincto ejusdem sermonis addiscendi studio facile futurum vident ut avertantur animi ab adeundis, ac pervolutandis tum divinis libris, tum rerum sacrarum scriptoribus, ex quibus plurimum habet religio et ornamenti, et praesidii. Jamvero qui aetate hac nostra latini eloquii cultum retinuerit, atque excitaverit fuit certe quidem Gabriel Laureanius scriptor, si quis unquam alius, et politus, et nobilis, et germanae latinitatis haeres a doctissimo quodam viro jure nuncupatus. Is enim Romae ortus, et ab ipsa natura exquisitum quemdam sensum nactus ad studia literarum, ad eadem alacriter capessenda incensus vehementer fuit ab Ignatio Rossio, qui cum esset non sublimioribus tantum, reconditisque disciplinis instructus, sed vero etiam a literis paratissimus, ac mirabili polleret sagacitate mentis vidit in adolescente quamdam quasi elucere scintillam ingenii, quod nosceret ad artes optimas apprime accommodatum. Itaque eo hortatore, ac fautore posteaquam graviorum doctrinarum cursum explevisset, se totum tradidit literis, easque ab ipsis haurire fontibus instituit; cumque ad bene loquendi facultatem plurimum conducere ab ipso Tullio novisset poetarum studium, praeter historicos, atque oratores poetis etiam, inprimisque Plauto, ac Terentio adplicuit animum; idque assidua contentione est consecutus, ut utriusque venustatem elegantissimis suis senariis expresserit; atque adeo ligata perinde, ac soluta oratione immortalem sibi laudem comparavit. In latinis concinnandis titulis nemo illo praestantior; quippe qui et perspicuitatem cum bre-

vitate, et cum simplicitate gravitatem perhelle con-
 junxit; quae simul admixta niteant necesse est in
 hujusmodi scriptionis genere, ut sua illi laus, ac pre-
 tium constet. Florenti adhuc aetate praecipuo in ho-
 nore habitus ad rhetoricam tradendam fuit accessus
 in Atheneo Gregoriano; idque muneris sic naviter
 gessit, ut praestantiam ac famam aequaret Cunicii,
 Marottii, aliorumque illustrium virorum, qui ipsum
 in publico docendi officio antecessissent. Et quoniam
 minime fructuosam, ac salutarem putabat dissocia-
 tam a virtute doctrinam, id sibi negotii datum cen-
 suit, ut iuventutem non magis ad bonas artes, quam
 ad omnem virtutem sedulo informaret. Pulcherrima
 sane ea verba sunt, quibus antequam scholasticae
 feriae adpeterent, commissos sibi juvenes allocutus
 olim fuit, atque ad morum integritatem tantis in-
 periculis tuendam cohortatus « *Ut illam, quae emissa
 fertur in humum a Noemo sene innocentissimo, ni-
 lentem columbam, ego vos, mei discipuli, istis feriis
 ex hac quasi sanctitatis arca dimitto. Ac velut ea ad
 herum rediit, ut omnia lividissima vidit, putidaque,
 ne se inquinaret, ita vos meae columbae redite ad me
 hic iidem, qui nunc estis. Ne unum pedem quidem
 ponite, ubi male olet caenum. Num quem juvet eo se
 ingurgitare tamquam suam, unde exire illa fera vix
 tandem sero possit? ergo mature sapere est; id vobis
 expedit* ». In explicandis porro, commentandisque la-
 tinis auctoribus nullam praeterire occasionem sinebat,
 quam oblatam sibi esse cerneret ad pietatis studium
 in adolescentium animis excitandum. Ita ex illis Ci-
 ceronis verbis in oratione pro Murena « *ut quum ad
 ultimum contendissemus, ibi tamen, ubi oportet con-*

sisteremus » haec dictavit auditoribus suis elegantiae, ac pietatis plenissima. « Liceat enimvero, mei discipuli, neque aliquis vestrum me in hoc reprehendat, si memoratis Marci Tullii verbis ad meum sensum abutar, quo sensu nunc plus solito experior me commoveri. Hei mihi quantum a te mi bone Deus diverse trahor, quantum oblector, ac centum amoribus hac illac differor; in tuo sinu tamen, ubi oportet, cogor semper consistere. Nae tu illa es propria hominis cujusque voluptas, quo tendimus, ille omnium caritatum terminus, illa mora, ubi nos miseris hisce soluti rebus alacres laetique acquiescimus. O si ut nunc tam potenter, etiam tum me bonus allicias cum mortem obeam! Scio quid faciam, ego numquam a te ne latum quidem unguem discedam. Sic placitum; quod si quid peccem in hoc ut animadvertero, continuo doleam oppido, ad teque revertar; homo enim sum mi bone Deus, pronusque ad malum ita, uti ceteri mortalium; hoc tu bene tenes, ac tutemet sacris in literis ipsum hoc, quae tua est bonitas, praescripsisti. Hanc, quae mihi inest, voluntatem propitius confirmes, ut in osculo tuo dulcissimo moriens conquiescam ». Quum viginti annorum spatio aerumnosam, ac difficilem docendi provinciam bono publico strenue gessisset, ac cessationem aliquam a laboribus et quietem cogitaret, a Gregorio XVI. Bibliothecae Vaticanae praepositus fuit, deinde adscriptus inter Antistites domus Pontificalis, et in amplissimum Collegium cooptatus Canonice Basilicae Vaticanae. Qui sapientiae amore tenebatur, summa cum voluptate delatum sibi munus accepit, ac nostratibus, exterisque in celeberrimam illam bibliothecam undecumque confluentibus tum eruditione,

tum facilitate morum cumulate satisfecit. Consecuta recens illa est turbulentissimi temporis procella, quae quo brevior, eo furentior, reique sacrae, et civicae luctuosior. Tantis excitatis in urbe tumultibus bibliothecae adfixus mansit, atque adeo praesentia sua, ac fama nominis locupletissimum illum cujusvis doctrinae thesaurum a praedonum direptione vindicavit. Sed tamen iniquissimi temporis calamitate graviter commotus est, ac prostrata tandem valetudine, qua tenui admodum, et malefirma utebatur, recte factorum conscientia erectus vitae finem securus adspexit magnum sui desiderium, et illustre posteris exemplum relinquens doctrinae, modestiae, pietatis. Appellatus inter Arcades fuit Philander Geronteus, ejusdemque academiae supremus custos renuntiatus munus illud amplissimum communi cum plausu usque ad obitum exercuit. Coactus Arcadicus coetus est ad viri clarissimi memoriam versibus honestandam; eoque in coetu latinum carmen recitavit Ioannes Baptista Brancaleoni Castellani, qui illius olim auditor fuerat, et in docendo successor (*).

Iamvero quae supersunt literatissimi hujus viri scripta in lucem edenda nonnulli curarunt, qui ejus sub disciplina poeticam facultatem coluerunt, tum ut absolutum extet exemplar latinae linguae studiosis, tum vero etiam ut perenni ipsius famae consultum sit. Etenim quae ad propagandam illustrium virorum gloriam simulacra statuuntur, caduca, fragilia sunt, quippe quae vetustatis saepe vi labefactantur, et corruunt, ingenii vero monumenta nullam verentur injuriam temporis, et sempiternae posterorum memoriae commendantur.

2003
13

(*) CARMEN

*Mane novo, dum prata nitent, caelumque colorat
Aurora exoriens, Iani qua in vertice lauri
Parrhasiae viridant zephirique a flamine nutant,
Errabam casumque dolens, mortemque Philandri
Quo nemus arcadicum, quo nostra superbiit aetas.
Atque gravi penitus luctu externatus, et amens,
Murmure si leni ramos impelleret aura,
Exiliisse viri manes, silvaeque vagari
Rebar ubi patrium mulcebat carmine Tibrim.
Quam subito ante oculos levis adstitit, at mihi pectus
Laetiliae incessit mixta formidine sensus.
Proh quam vera mihi visa est tunc vatis imago!
Demissae haud aberat nativa modestia mentis,
Clara experrecta radiabant lumina fronte,
Suavior ac solito florebat risus in ore.
Tum sic affari: mea quid nam funera ploras?
Mortalis cepere diu me taedia vitae
Postquam insana cohors temerans sacra jura, fidemque
Heu dolor! attonitam bacchari est ausa per urbem
Externumque solum sub noctem quaerere adactus
Laetiliae, pacisque dator Pius, auspice quo jam
Non unus sua tecta, laresque reviserat exul.
Tunc me confectum curis, patriaeque dolentem
Tot mala mors pressit, fragiles exolvit et artus.
At mixtus superae caeli novus incola turbae
Nunc alias longe silvas, mage pulchra vireta
Pervagor, aeterni recreor nunc lumine solis
Idem qui occasum nescit, qui nescit et ortum.
Qui sonus ast aures mihi perculit? haud ego fallor*